



Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

22. Dies Januarii. Deo seipsum debet homo, eique reddendus est, ut
beatus sit, à quo accepit ut sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

22. DIES JANUARII.

Deo scipsum debet homo , eique reddendus est , ut beatus sit , à quo accepit ut sit.
S. August. Epist. 45.

Media ad I.
finem.

Hactenus mihi cura fuit Finem tuum , ut eum cognosceres , digito ostendere , posthac labor meus erit , ad eundem , ut eò pertingas , manuducere . Pondera , quia non parvi sunt ponderis , verba Augustini : (a) *A principio ad finem perveniri non potest , nisi per aliquod medium:* Ergo ut totum aliquid sit , principio , & medio , & fine constat . Convici , te à Deo ut principio egressum , ad Deum ut finem regredi : superest , ut jam detegam , quibus ad eum pervenies viis , ac mediis . Non aliud est medium , quo beatus esse possis , quam reddendo te ei , à quo acceperisti esse . Hoc ut obtineas , necesse est vivere Deo , tibi , proximo , tempori , & aeternitati . Est ars artium , posse rectè vivere , non flexendo ad sinistram per defectum , nec ad dextram per excessum , sed ut melius incedas , per media ad Deum , suggerita à Deo . Vivere , naturæ est , rectè vivere , est artis , sed illius quam gratia inchoat , virtus continuat , perseverantia consummat , salus compensat . Hæc ars , tria complectitur instrumenta rectè vivendi ; Rectè judicare , sincerè velle , perfectè exequi .

II. Noveris ergo cur vivas : dein qua methodo
D 5 velis

(a) *Lib. i. mus. cap. 12.*

velis vivere, non ut libet, sed ut licet, & expedit: tandem agas, ut vita tua sit, non mendacium sine honore, sed artificium sine errore, cuius magistra sit Veritas, disciplina sanctitas, fructus felicitas. Primum quibus praesidiis recte senties de rebus omnibus, si ut judicando non hallucineris. Si Fides doceat, Ratio discat, Prudentia consulat, Scientia dirigat. Quomodo sincerè voles stimulante amore, solicitante desiderio, urgente proposito. Quæ ut perfectè agas, & constanter peragas, observanda sunt præcepta? Intentione præeunte, attentione comitante, devotione animante, constantia absolvente. Denuo ad illud redeo, unde abii: ut scias: multa leges, plura audies, plurima considerabis. Paucis deest sciendi curiositas, plurimis intelligendi studiositas. Sed & ut facilius scienda scias, eruditæ inspiratio suggerens, experientia observans, exemplum prælucens. Ut velis, excitabit te Dei gloria: cui secessandæ es conditus: imperabit tibi Dei placitum, cui explendo es obligatus: invitabit te Dei beneficentia, cui vitam universam debes: suadebit facilitas, quam pariter gratiæ subsidium, æqualium exemplum: alliciet utilitas, quam tota polliceretur æternitas: imperabit à te felicitas, ad quam votis omnibus, dum spiras, aspiras.

III. Ut agas recte: non audies naturæ genium, pravus est: non consules mundi indolem, maligna est: non credes diaboli suggestioni, mendax est, Deinde in omnibus quæ agis, finem respice. Dei voluntatem suspice, Christi exemplum inspice. Non differes dum opportunum est, non negliges dum inchoatum est, non sistes quoad expeditum est.

Ars

Ianuar.

Tessera.

59

Ars vitæ unica numero, multiplex officio, necessaria singulis, apta omnibus, hæc pauca docet, tu illa disce, & observa. Si vita stadium est, sic currere, ut comprehendas. Si studium est, sic discere, ut sapias: si militia est, sic certare, ut vincas: si mercatus est, sic negotiari, ut quæstum facias: si theatrum est, sic personam agere, ut plausum referas: si peregrinatio est, sic ambulare, ut metam attingas: si exilium est, sic illud sustinere, ut patriam obtineas: si mare est, sic velificari, ut portum subeas? si sementis est, sic serere in terris, ut possis metere in cælis: si diversorum est, sic versari, ut hospitem te cogites, si vinca est, sic laborare, ut mercedem reportes. Ecce, quæ artes, ars vitæ exigit. Ars una omnes. Hæc ars rectè vivendi eousque patet, quo usque vita porrigitur: cuius omne negocium, est virtutis officium. Vita porrò est, quidquid intellectu concipis, aut memoria retines, aut voluntate appetis, aut concupiscentia desideras, aut sensu percipis, aut ore loqueris, aut manu peragis. Artis illius initium, est primum rationis diluculum, quo si non auspicaris, vitæ primi frustar is. Progressus, est universus ætatis cursus, qui si alio dirigitur, vitæ usura prodigitur. Terminus est, supremus vitæ exitus, qui si arte ista non concluditur, spes vitæ eluditur, votum salutis fallitur.

Ecce medium pervenienti per compendium
ad finem, cui es creatus, rectè vivendi
scientia.

23. DIES